

credulitate deceptit: sic Dominum ipsum tentare conatus, quasi obreperet rursus, et falleret, latenter accessit. Intellectus tamen est et retusus, et ideo prostratus, quia agnitus atque detectus. Unde nobis exemplum datum est veteris hominis viam fugere, vestigiis Christi viventis insistere; ne denuo incauti in mortis laqueum revolvamur, sed ad periculum providi, accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo possumus, nisi ea quibus mors expugnatur et vincitur, Christi mandata servemus, ipso monente et dicente: Si vis ad vitam venire, serva mandata. Et iterum: si feceritis, quae mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos. Hos denique fortes dicit et stabiles, hos super petram robusta mole fundatos: hos contra omnes tempestates et turbines saeculi immobili et inconcussa firmitate solidatos. Qui audit, inquit, verba mea, et facit ea, similabo eum viro sapienti, qui aedificavit domum suam supra petram. Descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, et impegerunt in domum illam, et non cecidit. Fundata enim fuit super petram. Verbis igitur ejus insistere, quaecumque et docuit discere et facere debemus. Ceterum credere se in Christum quomodo dicit, qui non facit, quod Christus facere praecepit? Aut unde perveniet ad praemium fidei, qui fidem non vult servare mandati? Nutet necesse est, et vagetur, et spiritu erroris arreptus, velut pulvis, quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiet ad salutem, qui salutaris viae non tenet veritatem.

II. Cavenda sunt autem, fratres dilectissimi, non solum quae sunt aperta atque manifesta, sed et astutae fraudis subtilitate fallentia. Quid vero astutius, quidve subtilius, quam ut Christi adventu detectus ac prostratus inimicus, postquam lux gentibus venit, et sospitandis hominibus salutare lumen effulsit, ut surdi auditum gratiae spiritualis admitterent, aperirent ad Deum oculos suos caeci, infirmi aeterna sanitate revalescerent, claudi ad ecclesiam currerent, muti claris